

1286 març 19. Girona

*El rei Alfons concedeix que tot ciutadà de Girona no hagi de pagar dret de terç o foriscapi sinó a la taxa del deu per cent. Tota persona forastera de Girona que cometi un delicteserà jutjada dins la ciutat, sigui quina sigui la jurisdicció a la qual pertanyi.*

- A. Original pergami, nº 57 (200 × 220 mm), en altre temps segellat, conservat a l'AHCG.
- B. Registre matriu del document conservat a l'ACA, Cancelleria, reg. 64, f. 24.
- C. Còpia de A de principis del s. XIV conservada en el *Llibre Verd*, f. 10-v.
- a. Ed. de la còpia B per Ferran VALLS I TABERNER. *loc. cit.*, p. 139-140 (doc. IX).

**Que negun ciutadan no pac per ters o foriscapi reyal, sinó a rahon de X sòlidos per C. Item, que tot hom estrany de qualque jurisdicció sia qui deia res a ciutedà de Gerona, que sia tengut fer dret en Gerona.**

Noverint universi, quod nos Alfonsus, Dei gratia rex Aragonum, Maioricarum et Valencie ac comes Barchinone, attendentes quod vos fideles nostri probi homines et cives Gerunde plurima dampna passi estis tempore preterito propter guerram Gallicorum, idcirco concedimus vobis et successoribus vestris perpetuo quod nullus de civitate Gerunde teneatur dare vel solvere pro tercio vel foriscapio, nisi decem solidos pro centum solidis et ad illam rationem secundum maius et minus de honoribus vestris qui pro nobis teneantur. Item, laudamus, concedimus et confirmamus vobis et vestris perpetuo quod omnis homo extraneus, cuiuscumque iurisdiccioni sit, qui debebit aliquid alicui de Gerunda vel delinquerit in vicaria Gerunde vel robaverit aliquos homines de Gerunda, teneatur inde facere ius in Gerunda in quantum de iure fuerit faciendum. Hanc autem concessio-nem vobis et vestris facimus perpetuo per nos et nostros, sicut melius dici et intelligi potest ad vestrum vestrorumque salvamentum et bonum intellectum. Mandantes vicariis, baiulis et universis aliis officialibus nostris et subditis quod hanc concessionem nostram firmam habeant et observent et non contraveniant nec aliquem contravenire permittant.

Datum Gerunde, XIII kalendas aprilis, anno Domini millesimo ducesimo octuagesimo quinto.

Sig+num (*signe reial*) Alfonsi, Dei gratia regis Aragonum, Maioricarum et Valencie ac comitis Barchinone. Testes sunt: Raimundus Fulchonis, vicecomes Cardone, Arnaldus Rogerii, comes Pallarensis, Poncius Hugonis, comes Impuriarum, Raimundus de Angularia, Guillelmus Raimundus de Iosa.

Sig+num Petri Marchesii, notarii dicti domini regis, qui mandato eiusdem hec scribi fecit et clausit loco, die et anno prefixis.

- a. *Al marge dret, amb lletra tardana*: est aliud f. XI regis Alfonsi. *Una clau que comprèn les tres últimes línies del foli*: facit pro marchis, C.